

HISPANIAE TABVLA.

XVIII

XIX



HISPANIAM diuidunt à Gallia mōtes Pyrenæi. Et hinc duo erumpūt ramēta per regionem ipsam, quorū alterum etiā usq̄ ad Portugalliā protenditur, eam à Gallicia separans, sortituscq̄ uaria uulgaria nomina ex gentibus iuxta habitātibus. Fluuiorū nomina sicut & ciuitatū ferē omnia hodie sunt mutata. Batim enim nūc uocant Guadalquebir, Anam Guadianā, Tagum Taio, Celticum promontorium Finem terra, Iberū ebrum, Valeriam concham, Calagurium Calaborram, de quibus infra copiosius dicetur.

Comunite

Bon 80 2250 2500

HISPANIA.

Hispania undique alluitur mari, excepto eo latere quo Galliam contingit, ibi enim altissimis Pyrenæis montibus secernitur ab ea. Hæc olim in tres fuit distincta partes, Bæticam scilicet, Lusitaniam & Tarraconensem. Et secundum Berosum primus rex fuit Tubal, Nohæ nepos: qui uidens terram aptam pro pecoribus nutriendis, studuit in ea propagare rem pecuariam, unde & terram hinc uocatam putant Tarraconam, quasi תררא קריא id est, bouum possessio. Huic successit Iberus, à quo fluuius Iberus denominatus est, & regio quam perlabitur Celtiberia. Sextum regem asserunt fuisse Bætum, à quo Bætica regio nomen accepit. Decimus rex fuit Hispanus, aut secundum alios Hispalus, qui toti regioni Hispaniæ nomen reliquit. Duodecimus fuit Hesperus, à quo etiam Hispania Hesperia appellata est. Decimus septimus fuit Lusus, à quo Lusitania, quæ hodie est Portugallia, denominata est. Quando uerò Romani imperare cœperunt in Hispania, diuisa fuit in duas prouincias, Bæticam scilicet & Tarraconensem, durauitq; illa diuisio usque ad Attilam, qui rursus aliam in ea fecit distinctionem. Posteris uerò temporibus diuisa fuit in quinque regna, Galliciam, Nauarram, Castiliam seu Legionum regnum, Cataloniam, quæ & Arragonia est, Portugalliam, & Granatam. Galliciam non diu proprium habuit regem, ideo in numerum non uenit.



18